

## Hermanni Vseneri lectiones Graecae.

I Hesiodi nomen quibus carminibus antiquitas inscripsit, ea notum est tota tot tantisque difficultatibus laborare quae pristini poetae consilium et sententias obscuritate involvant, ut leviores maculas quae versibus adpersae sint vix mirandum sit plerosque legentes fallere. sed non leve quod in operum v. 21 haeret vitium

*εἰς ἕτερον γὰρ τίς τε ἰδὼν ἔργοιο χατίζων  
πλούσιον, ὃ σπεύδει μὲν ἀρόμιεναι ἢ δὲ φντεῦεν  
οἶκόν τ' εὖ θέσθαι· ζηλοῖ δὲ τε γείτονα γείτων  
εἰς ἄφρονον σπεύδοντα.*

pauperem Hesiodus dicit, cum vicinum videat labore divitem factum, ipsum quoque ut opes adquirat incitari. quid igitur illud ἔργοιο χατίζων? vide quam magistri Byzantini sapiant. χατίζων ἔργου Tzetzae ille videtur prorsus de sententia securo. magis sollicitum se Moschopulus praebet: ἤγουν ἐνδεής ὢν ἔργου, λειπόμενος, τοντέστιν οὐδὲν ἐργαζόμενος. hocine est verbum detorquere in contrariam sententiam? quid plura? laboris notio in illo enuntiato nisi ad divitem referri apte nequit. itaque recte sententiam Hesiodiam is grammaticus expressit cuius in Procli sylloga hoc scholion extat: *πλούσιον ἰδὼν ἐκ τῶν ἔργων πλουτήσαντα, σπεύδει καὶ αὐτὸς πλουτῆσαι.* hic participium quod est χατίζων absolute dictum intellexit eodem modo quo v. 394

*μὴ πως τὰ μέταζε χατίζων  
πίωσσης ἀλλοτρίους οἴκους καὶ μηδὲν ἀνύσσης.*  
sed ex eo quode agitur verbo ἔργοιο sanam hanc sententiam efficere non potuit. aliud legebat, ἔργοισι πλούσιον, verborum traiectione sane incommoda sed ea quae una effecisse maxime videatur, ut labem locus contraheret.

Multo levior altera est macula quam Hesiodo abstergi iubeo eiusdem carminis versu 282

ὅς δέ κε μαρτυρήσει ἐκὼν ἐπίορκον ὀμόσας  
ψεύσεται —.

ἐπίορκον ὀμόσας, aiunt, idem est atque ἐπιορκήσας. audio, sed nil proficio, dum dativus μαρτυρήσει quid sibi velit, non intellego. sed ut verum dicant, cur verbum multo debilius adicitur, ψεῖδεσθαι periurum? igitur eum poeta significat qui iure iurando adhibito testimonium falsum dicat:

ὅς δέ κε μαρτυρήσει ἐκὼν ἐπὶ ὄρκον ὀμόσας —.  
similiter dativum rei Euripides cum verbo composito iunxit, diverso accusativi genere, Iphig. Taur. 735 Kirchl.

τὴν' οὖν ἐπόμνυς τοισιδ' ὄρκιον θεῶν;

Alia vitia sperares testimoniis sublata, qualia etiam nostra aetate his carminibus adlata sunt. quando quidem vel marmoreis titulis, testibus omni charta certioribus, Hesiodiorum versuum memoriam antiquitas stabilivit. in monumento Acharnensi quod in Philologi vol. XII p. 566 Conzius edidit tres operum versus et hemistichium v. 197 sqq. insculpta sunt. sed nil prodit quod prosit, nisi hoc unum, v. 198 φάρεσσι ea forma quam iure suo Godofredus Hermannus sed adhuc frustra flagitavit. nam quod ibidem κα . . ψάμεναι titulus testatur, ex suo sermonis usu excidisse quadratario potest; quod hemistichium novissimum v. 200 his vestigiis legitur ΑΙΔΩCCYNΟΜΙΕ hoc est Αἰδῶς Ἐὐνομίῃ τε, qui illos versus mutuatus est ut sua adnecteret, ex suo consilio scripsit.

Ex Philodemi de pietate volumine Herculaniensi p. 52 ed. Gompertzii duo nuper emergerunt eiusdem carminis versus 81 et 82. ne hinc quidem quicquam lucramur. quamquam quod v. 82 πῆμ' ἀνδράσι ἐσομένοισιν Philodemus legebat, non ἀλφρηστῆσιν, A. Nauckio viro summo (philologorum Petropolitano comment. miscell. t. II p. 633) satis dignum videbatur quod notaretur. sed ea discrepantia si minus aliunde cognita nobis est, ex Hesiodo certe ipso satis explicatur, cum versibus interpositis non ita multis v. 56 πῆμα καὶ ἀνδράσι ἐσομένοισι scriptum sit.

II Dithyrambi Pindarici perpulchrum fragmentum Dionysius in libro utilissimo de compositione verborum c. 22 p. 152 sq. Reisk. servavit (fr. 53 p. 300 Bergk.). in quo cum multa impedimenta virorum doctorum sagacitate expedita sint, relicta sunt tamen, quae propterea videantur illorum acumen luisse, quod quae optimi libri exhiberent non satis cognitum habebant. sic versus 13—15 qui de Baccho veris opifice sunt eius codicis ope qui inter integra exemplaria neque in brevius contracta integerrimus fuit, quamdiu novissimo fasciculo (inde a p. 194, 5 R.) nondum caruit, Laurentianum dico plutei LVIII decimum quin-

tum, duobus vitiis spero liberari posse. qui hoc modo eius codicis f. 33<sup>r</sup> perscripti sunt

ἐν ἀλγέα

τεμεῶι τε μάντιν οὐ λανθάνει φοινικοσάων ὁπότῃ οἱ  
 χθόντες ὄραν θάλαμοι εὐδομον ἐπάγοισιν ἔαρ φρυτα νε  
 κτάρεια

ibi, ut ab altero enuntiatio ordiatur, corrupta leguntur οἱχθόντες ὄραν θάλαμοι quae vel editiones inde a principe Aldina numquam non sana suppeditarunt οἱχθόντος ὄραν θάλαμον. multo propius a veritate Horarum epitheton φοινικοσάων abest, pro quo in editionibus φοίνικος ἔρνος circumfertur. sed id Robertus Stephanus infeliciter novavit, cum Aldus φοίνικος ἐανῶν edidisset, quod et antiquissimus liber Parisiensis n. 1741 et epitomae exempla testantur. coniuncto igitur librorum testimonio utroque facile emergit quod H. A. Kochio auctore Bergkium Pindaro iam reddidit φοινικοεάνων. sed aperto Horarum purpuratarum cubiculo quid tandem fit? ver odoriferum nectareae plantae intelleguntne an audiunt, oriensne an ortum? mireris Bergkium qui εὐδομον ἐπαῖωσ' ἔαρος suspicatus vitium subesse sentiebat, idem quanto discrimine haec ab Alcaei versu quem in auxilium vocat fr. 45

ἦρος ἀνθεμόεντος ἐπαῖον ἐρχομένοιο

disiungerentur, non sensit. sane ἐπαῖωσιν cum Parisino epitoma tradit, sed Florentinus ἐπάγοισιν. an apertum esse quid poeta scripserit? ego vero aio, ἐπάγησιν: quando ver flores adfert sive emittit.

Difficilius est de prioribus verbis iudicium, ἐν Ἀργεῖα Νεμέα μάντιν οὐ λανθάνει: sic enim illa inde a R. Stephano eduntur, Aldina cum Parisino codice et aliis ἐν ἀργεανεμέω. sed felicissimo acumine Bergkium viam munivit, qui Nemeam prorsus alienam ab hoc loco sentiens ἐναργεῖα μὲν σάματα' οὐ λανθάνει coniecit a poeta scriptum. illud verissime, quod ἐναργεῖα latere in primis oculis dixit. nec enim latere iam dixeris, si quidem epitomae codex eorum quos novi optimus Monacensis n. CCCXXVII id ipsum exhibet. neque minus eum recte existimo μάντιν vocabulum statuisse ex σάματα corrupto male esse confictum. sed alio quam quo Bergkio visum est ducunt quae intercedunt litterarum vestigia, νεμέω ut in epitoma est sive νεμέωι, sive potius quod Laurentianus τεμεῶι τε. scilicet TEMEWITEMANT(IN) corruptum videtur esse ex TEAEWNCAMAT: Bacchum dici nemo non sentiet. totum igitur locum sic leges:

ἐναργεῖα τελέων σάματα' οὐ λανθάνει,  
 φοινικοεάνων ὁπότ' οἱχθόντος ὄραν θάλαμον  
 εὐδομον ἐπάγησιν ἔαρ φρυτὰ νεκτάρεια.

III Summis novissima Antigoniae Sophocliae pars

difficultatibus premiter plurimamque labem temporis iniquitate contraxit. unum ex multis locum conclamatum qua ratione emendandus sit indicabo. domesticus nuntius v. 1278 sqq. Eurydicam sibi ipsam mortem conscivisse his verbis Creonti narrat

Ω δέσποτ', ὡς ἔχων τε καὶ κεκτημένος  
τὰ μὲν πρὸ χειρῶν τάδε φέρειν, τὰ δ' ἐν δόμοις  
1280 ἔοικας ἤκειν καὶ τάχ' ὄψεσθαι κακὰ  
1282 γυνὴ τέθνηκε, τοῦδε παμμήτωρ νεκροῦ,  
δύστηρος, ἄρτι νεοτόμοισι πλήγμασιν.

scripsi v. 1279 φέρειν pro participio cum L. Kaysero (Fleck. ann. t. LXVIII p. 500): cui quominus adstipulatus ἤκων quoque pro ἤκειν scriberem, impedivit καὶ particula. Sophocles τὰ δ' ἐν δόμοις κακὰ ἔοικας ἤκειν καὶ τάχ' ὄψεσθαι solute dixit, cum oratione strictiore ἤκων τάχ' ὄψεσθαι dicere deberet. praeterea non unam ob causam versum frigidissimum 1281 quem Creonti libri tribuunt

τί δ' ἔστιν αὐδ κάκιον ἢ κακῶν ἔτι

cum Heilandio Meinekioque exprunxi. sed etiam nunc monstrum verbi orationem dedecorat: mulier Haemonis παμμήτωρ. nihili sunt quae explicando huic adiectivo attulerunt, neque magis satisfaciunt quae viri docti moliti sunt, veluti παμμήτωρ Meinekii, γυνὴ τέθνηξ' ἢ τοῦδε γεννήτωρ νεκροῦ Nauckii. atque omnino aliam viam ineundam genetivus τοῦδε νεκροῦ docet, quem non tam ut otioso epitheto mulierem appellaret quam quia cum causa necis coniunctum id nomen est, poeta huic enuntiatō adhibuit. latere in verbis τοῦδε παμμήτωρ videtur τοῦδ' ἐπιμήτωρι, 'propter hoc carissimum cadaver iam quasi demessum'. certam existimo hanc esse emendationem, licet translati nominis exempla deficiant. sed ut metere demetere Latini, θερίζειν tragici Graeci a messe ad necem transtulerunt, eodem modo ἀμᾶν usurpari videmus, cf. Valckenaerii diatr. Euripid. p. 225.

Sed hoc vitium confessum plerisque erat, aliter in eadem fabula criticorum sagacitatem fugit. Tiresias mala omnia Creonti enarraturus v. 1001

ἀγνώτ' ἀκούω inquit φθόγγον ὄρνιθων, κακῶ  
κλάζοντας οἴστρω καὶ βεβαρβαρωμένω,  
καὶ σπῶντας ἐν χηλαῖσιν ἀλλήλους φοναῖς  
ἔγνων πτερῶν γὰρ ζοῖβδος οἷκ ἄσημος ἦν.

βαρβαροῦσθαι verbum cum hoc loco ad Graecorum barbarorumque discrimen referri nullo modo possit, de ipso avium clamore vocibusque confusis dicatur necesse est et propriam retineat significationem quam Homericā illa βαρβαροφωνος et νύμφη νηῖς Ἀβαρβαρέη prae se ferunt. at quo tandem modo furorem furorisve stimulum βεβαρβαρωμένον Sophocles dixerit? ni mirum nec fecit nec facere potuit, sed κλάζοντας βεβαρβαρωμένα ille

aves dixit h. e. confusa sonantes. potuit autem *κακῶ ὄστροφ*  
*καὶ βεβαρωμένω* iuncta proferre, ut esset 'voces, quales  
 fundere malus furor solet, et confusas'.

III Egregie nuper A. Nauckius in philologorum acade-  
 miae Petropolitanae miscellaneis vol. II p. 636 sq. Ionis Euri-  
 pidiae exordium, quod inde a Porsone criticorum quasi crux  
 quaedam erat, pluribus incommodis quam illo in versu primo  
 numerorum vitio laborare, et omnino ab interpolatore demonstra-  
 vit invita minerva ita contaminatum esse, ut vix posset, poeta  
 quod reliquisset, certa ratione restitui, quae disputatio ut valde  
 me iuivit, ita cuiusdam in eodem prologo loci me admonuit, in  
 quo disiecta poetae membra una cum glossematis male contami-  
 nata olim ipse intellexeram. proferam quod inveneram rationes-  
 que plenius exsequar, tum quia hunc aliquanto certius quam  
 illum locum emendari posse confido, tum quia hic facile origi-  
 nem quoque et aetatem interpolationis detectum iri spero.

Igitur Mercurius quid causae sit cur Delphos accesserit  
 expositurus, Ionis origines sic coepit enarrare (v. 8)

*ἔστιν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις,  
 τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη:*

satis aperte opinor neque quod quisquam Graecus, nedum spe-  
 ctatorum Atheniensium ullus non intellexeret, his verbis urbem  
 Atheniensium denotavit, cf. Iph. Taur. 935 *Παλλάδος λεῶν* et  
 989 *κομίσει μ' ἄγαλμα θεᾶς πόλιόν μ' εἰς Παλλάδος*. sed audi  
 quae Mercurius iam adiciat: quae adscribam qualia praeter  
 Kirckhoffium editores omnes Hermannus Nauckius Badhamus  
 tradunt

*οὗ παιδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔξευξεν γάμοις  
 βίῃ Κρέουσας, ἔνθα προςβόρρους πέτρας  
 Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονός  
 Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἀνακτες Ἀιθίδος.*

scilicet nunc demum certos fieri spectantium legentiumve ani-  
 mos nullam aliam nisi Athenas urbem a poeta dici, postquam  
 quater idem significatum est. qua indefessa iteratione quantae  
 oriantur ineptiae, plene dici nequit, nisi quis legentium benevo-  
 lentia abuti velit. cur non *Ἀθηναῖοι* sed *γῆς ἀνακτες Ἀιθίδος*  
 dicuntur illas rupes *μακρὰς* nominare? an ut antiquissimus  
 Graecorum poeta diversam deum hominumque nonnumquam ad-  
 notat loquellam esse, ita inter regulos et plebeculam Atticam  
 discrimen sermonis intercedere Euripides significat? hoc quoque  
 scire velim, quinam sint isti *ἀνακτες*, sed manifestius etiam  
 fraudem prava enuntiati relativi arguit et conformatio et sen-  
 tentia, quamquam obstrepentes mihi sane videor audire, quot-  
 quot dum ipsi mentis aciei ne intendendo obtundant parcere solent,  
 facile in scriptoribus patiuntur excusant explicant quae ab sana

cogitandi ratione abhorrent. In hac igitur urbe, sic enim Euripides traditur dixisse, Creusam Phoebus ibi subigitavit, ubi Atheniensis terrae rupes septemtrionem versus sitas longas Attici vocant: sive, quod paene necessarium propter verborum ordinem sed si fieri potest etiam ineptius est, ubi rupes septemtrionales Atheniensis terrae longas Attici vocant. en lepidum attractionis quam vocant exemplum. mitto genitivum τῆς Ἀθηναίων χθονός, qui tamen vel solus sufficit ut totius loci integritas in dubium vocetur. hoc quaero, num dici potuerit 'ibi Creusam Phoebus stupravit, ubi septemtrionales rupes longas vocant', an necesse fuerit dici 'ea rupium sept. parte, cui Μακραι nomen est'. sed operam perdo, cum his nugis ne in libris quidem praesidium paratum sit. neque enim accusativus, quo praesertim istud cogitandi loquendique vitium continetur, antiquitus traditur, sed dativus προσβόροις πέτραις. nam Palatinus codex πρὸς βόροις πέτραις exhibet et priore quidem manu etiam Florentinus προσβόροις πέτραις: recentior demum manus quae hunc librum 'ex arbitrio' sive correxit sive interpolavit, id superscripsit quo tamquam medici indocti emplastro ulcus celatum potius quam sanatum est, προσβόρους πέτρας. ab in-corrumpita igitur librorum memoria proficiscendum, et loci definitio quae in his dativis inest, coniungenda cum altera magis generali Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ. coniungi autem ambae non potuerunt nisi praemissa hac latius patente Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ ~ προσβόροις πέτραις. verum eadem opera hoc patefactum est hanc loci notationem ut par erat a poeta verbis βίᾳ Κρέουσαν ἐζενξε adhibitam fuisse.

Quid lucrati simus, iuvat circumspicere. totum illud enuntiatum quale editur interpolatori disiecta membra male consarcinanti debetur, eius igitur est adverbium relativum ἐνθα; poetae verba haec tantum reciperavimus, quibus locus ita significatur, ut ad ἐζενξε verbum referri possint. in reliquis numquid lateat Euripidium, deinceps quaerendum erit cum priora examaverimus. iterum auxilium exemplaria vetera afferunt. non οὐ παῖδ' Ἐρεχθέως sed metro pessum dato οὐ παῖδ' ἐξ Ἐρεχθέως liber Palatinus exhibet, quod in Florentino correctum esse non mirabimur. sanissimo autem iudicio Kirchhoffius p. 424 'vereor equidem' inquit, 'ne οὐ potius sit ab interprete, post 9 autem plura exciderint'. nulla profecto causa excogitari poterit quae interpolatorem quandam commoverit, ut versum οὐ παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἐζενξεν γάμοις additamento inutili et extra tritam loquendi viam posito labefaceret. sed a poeta solo ἐξ praepositio habere originem potuit, cf. Bacch. 174 δεῖ γάρ νιν ὄντα παῖδα θυγατρὸς ἐξ ἐμῆς. itaque eiusdem qui v. 11 ἐνθα interposuit, alteram hanc fraudem deprehendimus. qui quod

addito οὐδ' opus esse opinatus est, apertum iam indicium est interpolationem non tantum ad v. 11—13 sed paulo latius patere. cavendum autem ne cum Kirchhoffio inter v. 9 et 10 hiatus subesse statuamus, in quo quid tandem, quod quidem ad rem pertineret, absumptum existimabimus esse? non inopia nos quidem sed copia laboramus.

Restat unum quo expedito facilis sit loci restitutio. vidimus quantum ab sensu absonet illud *καλοῦσι γῆς ἀνακτες Ἀιθίδος*. atqui quando quidem, quod est quam maxime probabile, glossemate intruso absurdum illud *ἐνθα . . . Ἀιθίδος* enuntiatum conglutinatum est, neque grammaticus neque librarius haec verba *γῆς ἀνακτες Ἀιθ.* addere ipsi potuerunt. Euripidia sunt, levi macula obsita, *γῆς ἀνακτος Ἀιθίδος*, alterum eiusdem senarii hemistichium cuius prius supra enucleavimus *παῖδ' ἐξ Ἐρεχθίδως*, quem heroem ut in prologo iure tuo expectes accuratius appellatum et plenius. atque explicata sunt illa *γῆς Ἀιθίδος* glossemate quod non sine causa in superiore versu comparet *τῆς Ἀθηναίων χθονός*. non longe abest secundum glossema quod nunc vel versuum rationibus evincitur [*ἄς μακρὰς καλοῦσι*]; inutile porro et prorsus otiosum est, cum duplici iam ratione locus fuerit denotatus. petierant illud grammatici ex Creusae verbis v. 1403 *Κέκροπος ἐς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρῆρεφείς* et chori v. 504 sq.

ὦ Πανὸς θακῆματα καὶ  
 παρανλίζουσα πέτρα  
 μυχῶδεσι Μακρᾶς.

tertium enim locum v. 294 non dico, postquam versus 294—299 ab interpolatore profectos esse ab adolescente optima spei, seminarii nostri sodali intellectum est. neque scitu non dignum est eandem rem alii quoque huius fabulae versui interpolando ansam dedisse, v. 942, ibi Creusa

*ἄκουε τοῖνυν. οἶσθα Κεκροπίας πέτρας;*

[*πρόσβρορον ἄντρον, ἄς Μακρὰς κικλήσκομεν*]:

respondet paedagogus senex

*οἶδ', ἐνθα Πανὸς ἄδντα καὶ βωμοὶ πέλας.*

inclusum versum ferri non posse cum et stichomythiae rationes et grammaticae doceant, tum et diarii classici 'R' criticus (vol. II fasc. III p. 615) et Badhamus ad Ionem p. 83 perviderunt.

Quattuor illis versibus sive potius tribus ad integritatem nihil deest nisi trochaicae mensurae vocabulum, quod, cum *ἐνθα* illud ab interpolatore insereretur, exulavit: articulus, opinor, *ταῖσι* ad *πέτραις* addendus, ut similis hic loci notatio sit atque in Baccharum v. 37 sq.

*δοῦθ' ἐπὶ Κάδμον παισὶν ἀναμειγμένα  
 χλωραῖς ὑπ' ἐλάταις ἀνορόφοις ἦνται πέτραις.*

ad ordinem autem pristinum instaurandum tres observationes praesto sunt, primum sententiarum fili inter v. 9 et 10 interrupti quod nectere interpolator inserto ὁδ male studuit, tum Παλλάδος vocabuli in eiusdem sententiae finibus iterati. denique cum poeta narrationem ab urbe significanda ordiatur, narratio recte procedere non potuit, nisi significata urbe etiam quo urbis loco res acta esset, statim adiectum esset. quas ob causas veri hoc simillimum est non Παλλάδος, sed ταύτης ἔπ' ὄχθῃ verba molle illud et quasi epicum exordium v. 8 et 9 subsequuta esse.

Sed diutius lectores moratus sum. quibus forsitan satis fuerit factum loco qualem restituisse mihi videor ante oculos posito:

ἔστιν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις  
 9 τῆς χρονολόγητον Παλλάδος κεκλημένην  
 [Παλλάδος] ταύτης ἔπ' ὄχθῃ (ταῖσι) προσβόροισ πέτραις [(ὡς) μακρὰς  
 καλοῦσι]  
 παῖδ' ἔξ' Ἐρεχθέως γῆς ἄνακτος Ἀτθίδος [τῆς Ἀθηναίων  
 χθονός]  
 βίη. Κρέουσιν Φοῖβος ἔξευξεν γάμοισ.

iam hoc unus quisque videt, qua aetate, a quo hominum genere interpolatio admissa sit. turbato immixtis glossematis loco Byzantinae aetatis librarius, studipus is quidem et qui vel numeros labantes vix sentiret, insertis αῖ et ἐνθι adverbii ordinem sententiarum et versuum restituere sibi visus est. cui gratia habenda quod tam stupidus fuit, ut religiosus posset esse neque numerorum causa ἔξ praepositionem deleret neque adeo dativum προσβόροισ πέτραις accusativo mutaret.

Breviorem licet de alio Ionis loco esse. in Ionis Creusaeque matris diverbio inde a v. 371 haec leguntur

Creusa καὶ σ' ὦ ξέν' οἶμαι μητέρ' ἀθλίαν ποθεῖν.

Ion (μὴ) μὴ γ' ἐπ' οἴκτόν μ' ἔξωγ' οὐ ἑλεήσμεθα.

Creusa σιγῶ' πέραινε δ' ὦν σ' ἀνιστορῶ πέρι.

375 Ion οἴσθ' οὐδ' ὃ κἀμνεὶ τοῦ λόγου μάλιστα σοί;

ne tantillum quidem v. 375 sqq. ad Creusae interrogationem ullam responderetur. haec enim quae sciscitatura fuerat, v. 319 sqq. et proferuntur et expediuntur. verum omnino interrogationes mutuae ultra v. 370 non producantur, v. 375 sqq. ad dubitationem Ionis pertinent, num Apollo Creusae consulendus sit. itaque ne Ion quidem Creusam interrogaturus esse v. 374 recte diceretur. hoc unum dicere Creusa potest

σιγῶ' ἠέρενα δ' ὦν σ' ἀνιστορῶ πέρι.

V Incertum quid velit nolit Phaedrae animum optime nutrix Eur. Hippolyti v. 176 sqq. sic depingit

τί σ' ἐγὼ δράσω; τί δὲ μὴ δράσω;

τόδε σοι φέρομαι, λαμπρὸς ὄδ' αἰθήρ.

ἔξω δὲ δόμων ἦδη νοσερᾶς  
δέμνια κοίτας.

- 180 δεῦρο γὰρ ἔλθειν πᾶν ἔπος ἦν σοι,  
τάχα δ' εἰς θυλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν.  
ταχὺ γὰρ σφάλλῃ κοῦδενὶ χαίρεις,  
οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρόν, τὸ δ' ἀπὸν  
φίλτερον ἦγῃ.

in his non intellego quid sit ταχὺ γὰρ σφάλλῃ. intellegi a perisique sic existimo: 'mox enim exspectatio tua fallitur'. sed male hoc et cogitatum et dictum. aut enim, si γὰρ particula utendum erat, 'mox enim exspectationem frustrari sentis vel opinaris' dici debebat, aut, si σφάλλῃ verum putas, alio modo enuntiata continuanda erant 'sed semper falleris': quod Ratallerus interpres bene perspexisse videtur, dum nulla coniunctione adiecta vertit 'laberis infelix vitio animi'. quare cum vitiata esse verba pateat, nescio quid sive a librorum vestigiis propius absit sive ad sententiam magis quadret quam ταχὺ δ' ἀσφάλλεις: cito enim (omnem rem) aegre fers nec ulla te iuvat.

In Phoenissis Polynices indutiis factis cum Thebas intrasset, matrem allocutus haec verba addit v. 372

ἄλλ' ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος ἀδ' σὲ δέρομαι  
ἔχουσαν, οἴμοι τῶν ἐμῶν ἐγὼ κακῶν.

- 375 ὡς δεινὸν ἔχθρα, μήτηρ, οἰκείων φίλων  
καὶ δ'υσλίτους ἔχουσα τὰς διαλλαγὰς.  
τί γὰρ πατήρ μοι πρόσβυς ἐν δόμοισι δρᾷ  
σκότον δεδορκῶς; τί δὲ κασίγνηται δύο;  
ἦπὸν στέροισι τλήμονες φηγὰς ἐμὰς;

versus 376 gravi vitio deformatur: δ'υσλίτος potest ἔχθρα esse, διαλλαγῇ nequit. scriptum olim fuisse conicio κάσυστάτος —. sed versus ipse non Euripideus est. cuius rei indicium est quod editores recentiores negligere non debebant scholion adscriptum: ὁ στίχος οὗτος ἐν τισιν οὐ φέρεται. quamquam enim in eo versu inesse nil videtur cur spurium esse suspiceris, tamen totius loci condicio ut ita statuamus necessitatem nobis inponit. adiunguntur enim tres versus v. 377—379, qui neque ullo vinculo cum Polynicis oratione consociantur neque in sequentibus Iocastae verbis habent quo ad interrogationes varias respondeatur. itaque histrio miserationum studiosus haec interposuit idemque versum 376 adiecit quo plenius esset proximum enuntiatum. quod longe aliter Euripides ipse struxerat, qui exclamationum v. 374 οἴμοι τῶν ἐμῶν ἐγὼ κακῶν causam statim subiecerat enuntiato secundo ὡς — φίλων. cf. ex nube exemplorum Soph. Antig. 82 οἴμοι ταλαίνης, ὡς ὑπερδέδοικά σου. 320 οἴμ' ὡς ἄλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ. 1270 οἴμ' ὡς ἔοικας

ὄψε τὴν δίκην ἰδεῖν. Ai. 354 οἴμ' ὡς ἔοικας ὄρθα μαρτυρεῖν ἄγαν. 587 οἴμ' ὡς ἀθυμῶ. 1266 φεῦ, τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτιοῖς χάρις διαρροεῖ. sic igitur Polynicis orationem clausit Euripides

ἀλλ' ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος αὐτὸν σὲ δέρομαι  
ἔχουσαν. οἴμοι τῶν ἐμῶν ἐγὼ κακῶν,  
ὡς δεινὸν ἔχθρα, μῆτερ, οἰκείων φίλων.

nunc tandem conloquium recte procedit, cum Polynicem Iocasta his verbis excipiat

κακῶς θεῶν τις Οἰδίου φθείρει γένος

et quae secuntur.

Medeae nobile principium vitio laborat v. 11 sq. ab aliis aliter temptato. sano iudicio A. Nauckium unum uti video studiorum Eurip. t. I p. 107 sq. sed excogitari nil poterit quo omnis difficultas tollatur, nisi de v. 12 φρυγῆ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα rectius iudicatum fuerit, quae verba nullo artificio coniungi cum ceteris possunt. verba ipsa sana omnia sunt. vide quem admodum locum edendum puto

οὐδ' ἂν κτανεῖν πείσασα Πελοπιδας κόρας  
10 πατέρα καιφίκει τήνδε γῆν Κορινθίαν  
· · · · ·  
12 φρυγῆ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα  
11 ζῶν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισιν, ἀνδάνουσα μὲν  
13 αὐτῇ δὲ πάντα ζυμφέρουσ' Ἰάσονι κτέ.

omissi erant in archetypo post v. 10 duo, fortasse tres versus, quos cum in margine corrector supplevisset, alter evanuit, alter pravo loco collocatus est v. 12. sententiae autem ordo hic fuit: et tamen adhuc feliciter omnia eveniebant, benigne Medea accipiebatur, ad quorumcumque hominum civitatem deferebatur, ipsa Iasoni et amata et fida per omnes vicissitudines socia.

VI Simili causa ac Phoenissarum illi loco Heraclidarum versibus 451 sqq. histrionum ludibrium inludit. Iolaus, cum Demophon Atticorum rex invitis civibus nolle se declarasset contra Argivorum copias proelii periculum subire, paene desperans tandem quo Herculis liberos servaret remedium invenisse sibi videtur: se ipsum iubet hostibus pro illis tradi:

ἀλλ' οἷσθ' ὃ μοι σίμπραζον; οὐχ ἅπανα γὰρ  
πέφειγεν ἐλπίς τῶνδ' ἐμοὶ σωτηρίας  
ἐμ' ἐκδος Ἀργείοισιν ἀντὶ τῶνδ' ἀνάξ,  
καὶ μῆτε κινδόνε νε σωθῆτω τέ μοι  
455 τέκν'. οὐ φιλεῖν δεῖ τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἔγω.

haec digna est Iolao clausula, neque ad illud ἔγω habet quod addat, ut qui Demophontis sententiam expectet. sed non satis

visum est scaenicae loquacitati: adduntur quinque versus — cave credas, ut nova illius consilii ratio adiciatur: nam

456 *μάλιστα δ' Εὐρυσθεύς με βούλοιτ' ἄν λαβῶν  
τὸν Ἡράκλειον σύμμαχον καθυβρίσαι,*

ut potuerit post illud ἔγω Iolaus addere, ad consilium suum Demophonti conprobandum minime pertinet, si quidem Eurysthei iram in Iolao non tantum solo sed etiam coniuncto cum Heraclidis exerceri posse apertum est. tres autem reliqui v. 458—460 prorsus alienam continent et ineptam gnomologiam:

*σκαῖος γὰρ ἀνὴρ. τοῖς σοφοῖς δ' ἐνκτὸν σοφῶ  
ἔχθραν συνάπτειν, μὴ ἀμαθεῖ φρονήματι.*

460 *πολλῆς γὰρ αἰδοῦς κάτυχῆς τις ἄν τίχοι.*

igitur hi versus ut interpolarentur, nulla sane causa fuit nisi histrionum loquacitas et fracta ars scaenica.

Excipit Iolaum non Demophon, sed chorus v. 461

*ὦ πρόσβυ, μὴ νυν τήνδ' ἐπαιτιῶ πόλιν κτε.*

verbo sine dubio corrupto. nam reprehendendis Athenis Iolaus prorsus abstinet. sed hoc chorus deprecatur, ne Atheniensium regem se ille iubeat Eurystheo dedere. itaque scribendum est *μὴ νυν τήνδε ταῦτ' αἴτει πόλιν.*

Statim postquam de Iolai consilio Demophon dixit, Macaria prodit mortem pro fratribus subire parata. cuius virginis per totam fabulam qualem hodie legimus nusquam nomen memoratur. quam neglegentiam poetae scaenici antiqui non admiserunt. neque enim schedulas spargi tunc mos erat, unde personarum nomina spectatores cognoscerent. cf. quae M. Hauptius in prooemio lectionum Berolinensium aestiv. a. 1858 p. 6 dixit. itaque inter v. 473 et Macariae prima verba v. 474 sqq. necesse est brevem Iolai sermonem intercidissee Macariam e fano egressam mirantis.

Turbatae Eurysthei orationi v. 1026 quomodo opitulandum censeam, quam brevissime indicabo. nemo enim erit qui Heraclidas perlegerit, quin in eo loco haeserit. atque hi causas rationesque emendandi ipsi ultro perspicient. igitur traieci in finem versus sunt v. 1042—1044, quorum sedes fuerat inter v. 1035 et 1036. emendatione unus tantum egere videtur v. 1032

*καὶ σοὶ μὲν εὔνοος καὶ πόλει σωτήριος.*

chorum Eurystheus adloquitur, neque potest choro alius esse, alius urbi civitatique Atheniensium: nam chori personam quasi ipsa civitas induit. patet ne Kirchhoffium quidem quicquam salutis attulisse, dum *ὑμῖν μὲν εὔνοος* conicit. viam monstrare poterit versus Sophocleus Antigonae 212

*τὸν τῆδε δέσπονν κάς τὸν εὐμενῆ πόλει:*

similiter Euripides scripsit

*καὶ σὴ μὲν εὔνοος καὶ πόλει σωτήριος.*

totum igitur locum sic puto ad integrum ordinem reduci posse:

- 1030 *θανόντα γάρ με θάψεθ' ου τὸ μόρσιμον,  
 δίας πάροιθε παρθένον Παλληνίδος,  
 καὶ σῆ μὲν εὔνοος καὶ πόλει σωτήριος  
 μέτοικος αἰεὶ κείσομαι κατὰ χθονός,  
 τοῖς τῶνδε δ' ἐκγόνοισι πολεμιώτατος,*  
 1035 *ὄτ' ἂν μόλωσι δεῦρο σὺν πολλῇ χειρί.*  
 1042 *κακὸν γὰρ αὐτοῖς νόστον ἀντὶ τῶνδ' ἔγω  
 δάσω. διπλοῦν δὲ κέρδος ἔξειτ' ἔξ ἐμοῦ  
 ὑμᾶς τ' ὀνήσω τούδε τε βλιάψω θανὼν  
 1036 χάριν προδόντας τήνδε. τοιοῦτων ξένων  
 προὔσθητε κτλ.*

VII Turbatum etiam in Baccharum prologo versuum esse ordinem vix quisquam fuit qui infitias iret. ibi Bacchus sic itinerum suorum mentionem facit

- 13 *λιπὼν δὲ Αὐδῶν τοῖς πολυχρυσόους γύας  
 Φρυγῶν τε Περσῶν θ' ἠλιοβλήτους πλάκας*  
 15 *Βάκτριά τε τείχη τήν τε δόσχιμον χθόνα  
 Μήδων ἐπελθὼν Ἀραβίαν τ' εὐδαιμονα  
 Ἀσίαν τε πᾶσαν ἢ παρ' ἄλμυρᾶν ἄλα  
 κέττιαι μιγάσιν Ἑλλῆσι βαρβάρους θ' ὁμοῦ  
 πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις,*  
 20 *εἰς τήνδε πρῶτον ἤλθον Ἑλλήνων πόλιν  
 κάκει χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς  
 τελετάς, ἴν' εἶην ἐμφανῆς δαίμων βοροῖς.  
 πρῶτας δὲ Θήβας τῆςδε γῆς Ἑλληνίδος  
 ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἑξάψας χρῶς*  
 25 *θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος,  
 ἐπεὶ μ' ἀδελφαὶ μητρὸς, ἕς ἤκιστ' ἐχρῆν,  
 Διόνυσον οὐκ ἔφρασκον ἐκφῶναι Διὸς κτε.*

multa, ut sanum ordinem instaurarent, conati sunt viri docti. nam vel obiter intuenti, quam neque conciliari iterata Bacchi Thebas delati memoria v. 20. 23 cum sana arte possit neque ferri v. 21 *κάκει χορεύσας* post Thebas commemoratas, facile patet. quibus incommodis qui mederi studebant, ideo nil profecerunt, quoniam tertium quoddam non minus intolerabile eos fugit. inest hoc in versu 13. qui quo loco hodie legitur, hanc sententiam efficit, Liberum patrem ita Asiam peragrasse ut a Lydia profectus Phrygiam Persiam Mediam Arabiam adiret, peragrata Asia Thebas omnium Graecarum urbium primam visitare. id vero manifesto falsum est. nam a Lydia profectum Liberum non Asiam peragrasse sed Thebas adire identidem spectatores monentur, et apertissime quidem v. 226

*λέγουσι δ' ὡς τις εἰσελήλυθε ξένος  
 γῆς ἐπιδὸς Αὐδίας ἀπὸ χθονός:*

neque tamen in diversam sententiam vel ipsius Liberi in prologo verba accipi poterunt v. 55

ἀλλ' ὃ λιποῦσαι Τρωῶλον ἔργμα Ἀυδίας,  
Θιάσος ἔμοσ, γυναικες ἄς ἐκ βαρβάρων  
ἐκόμισα παρέδρους καὶ ξυνεμπόρους ἐμοί,

vel chori canticum v. 64

Ἀσίᾳς ἀπὸ γαίᾳς  
ἱερὸν Τρωῶλον ἀμείψασα θοάζω  
Βρομίῳ.

hinc et vitium quibus finibus contineatur et origo vitii satis vetusti, quippe quod iam Strabonis aetate (cf. I p. 27. XV p. 687) Euripidis exemplaria obsederit, patefiunt. duplex eiusdem sententiae forma male ita contaminata est, ut alterius frustula discerpta diversis locis sedem fixerint. altera eaque longior magisque verborum ampullis exultans haec fuit:

- Φοιγῶν δὲ Περσῶν θ' ἠλιοβλήτους πλάκας  
15 Βακτρία τε τείχη τήν τε δύσχιμον χθόνα  
Μήδων ἐπελθῶν<sup>1)</sup> Ἀραβίαν τ' εὐδαίμονα  
Ἀσίαν τε πᾶσαν ἢ παρ' ἄλμυρῶν ἄλλα  
κεῖται μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῖ.  
19 πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις,  
21 κάκει χορεύσας καὶ καταστήσας ἑμᾶς  
τελετάς, ἴν' εἶην ἐμφανῆς δαίμων βροτοῖς·  
πρώτας δὲ Θήβας ἰησδε γῆς Ἑλληνίδος  
ἀνωλόλιξα νεβρίδ' ἐξάψας χρῶς  
25 Θύρσον τε δούς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος,  
ἐπεὶ μ' ἀδελφαὶ μητρὸς κτλ.

nisi forte ante ἀνωλόλιξα unus versus intercidit in quo et verbum finitum eundi et καὶ inesset: quod etsi fieri sane potuit, tamen cur statuatur necessitatem rationis non video. nam quod in apodoseos fronte δὲ ponitur protenta ultra vulgares fines protasi, id suam veniam habet, ut γε Schoenius inmerito coniecisse videatur. neque transitivum ἀνωλολιζειν mihi quidem idoneum esse videtur argumentum. ceterum vides in his quoque v. 17—19 non obscuram Lydiae mentionem inici eamque, ut par erat, novissimo loco.

Altera multo et brevior et aptior haec fuit:

- 13 λιπὼν δὲ Ἀυδῶν τοὺς πολυχρόστους γῆας  
20 εἰς τήνδε πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν,  
26 ἐπεὶ μ' ἀδελφαὶ μητρὸς κτέ.

hucusque non vereor quin plerosque mihi adsentientes habuerim. plures forsitan dissentiant, cum addam breviorē narrationem

1) nihili est quod Strabonis XV p. 687 libri testantur ἐπῆλθον, qui I p. 27 cum ipsius fabulae exemplis in participio consentiunt.

Euripidiam esse. mihi quidem non solum exacta sermonis et apta brevitatis prologum unica decere videtur, sed causa etiam praesto esse quae extra sensus arbitrium in naturae necessitate posita sit. unum erit septemdecim versuum (14—19. 21—31) enuntiatum, quo ea quae a consilio poetae paullo longius absunt tam late explicantur, ut latera ludionem deficiant ea tandem pronuntiaturum, quae ad poetae sententiam grauis-  
sima sunt. longe autem gravissima sine dubio est ratio, cur Thebas primas accesserit, cur adsit, cur totus in eo futurus sit ut poenam a matris sororibus sumat, reddita illa v. 26—31.

Leviora interim quaedam tangam, antequam ad Tiresiae verba v. 193 sqq. accedam. nuntius bacchanaliorum in Cithaerone monte celebratorum, si editoribus sive Christi patientis scriptori fides est, haec quoque exponit v. 681

αἱ δ' ἀποβαλοῦσαι θαλερόν ὀμμάτων ὕπνον  
ἀνῆξαν ὄρθαι, θαῦμα ἰδεῖν εὐκοσμίας,  
νεαὶ παλαιαὶ παρθένοι τ' ἔτ' ἄζυγες.

miro sane modo mulierum genera discripta. an virgines nondum maritis iunctae aliud quicquam possunt esse quam sive adulescentulae sive vetulae? immo ἄζυγες poeta si scripsit, παρθένοι grammaticus supra scripsit. sed haec lis in editores intendenda. libri veritatem non oblitterato vestigio indicant, quando inepte παρθένοι τε καὶ ἄζυγες testantur. scribas cum duplici partitione et aetatis et conditionis

νεαὶ παλαιαί, σύζυγοί τε καὶ ἄζυγες.

Egregia subtilitatis specimina interpretes in explicandis v. 286 sq. dederunt:

Ἥρα νιν (Bacchum infantem) ἤθελ' ἐκβαλεῖν ἀπ' οὐρανοῦ,  
Ζεὺς δ' ἀντεμηχανήσαθ' οἷα δὴ θεός.

285 ὄψας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλομένου  
αἰθέρος ἔθηκε τὸν δ' ὄμηρον ἐκδιδούς  
Διόνυσον Ἥρας νεικέων.

mittamus contortas omnes interpretationis rationes. hoc sententia postulat, ut cum ἔθηκε τὸνδε (sc. τοῦ αἰθέρος μέρος) Διόνυσον, tum ὄμηρον ἐκδιδούς Ἥρας νεικέων inter se iungantur. illud optime, hoc quominus fiat obstat sermonis usus. ὄμηρος enim aliquis est vel ὄμηρεῦει ei (τοῦτω), cui satis dare coactus is est qui obsidem pignusve dat. cf. infra v. 289 ὅτι θεῶ θεός Ἥρα πόθ' ὠμήρευσε. ei us autem ὄμηρος dicitur, qui ut faciat aliquid sive ne faciat obside ipse dato obligatur, cf. Plat. Theaet. p. 202 E ὥσπερ γὰρ ὄμηρους ἔχομεν τοῦ λόγου τὰ παραδείγματα οἷς χρώμενος εἶπε πάντα ταῦτα. Iuppiter igitur pacem cum Iunone conciliaturus id ipsum quod lis erat, Dionysum tradit uxori tamquam pignus concordiae. neque minus ἐκδιδούς verbum flagitat mentionem eius cui simulacrum illud

tradatur<sup>2)</sup>. itaque duplex necessitas est dativum restitui *Ἡρας νείκεσιν* (Iunoni rixanti ut satis fieret). in proclivi hic error librariis erat ut *ων* legerent quod *σιν* erat et contra. ita in praefatione, quam Dionysii Halicarnassensis iudiciis ex libro de imitatione secundo excerptis compilator praemisit partim et ipsam compilatam, sic legitur p. 416 sq. Reisk.: οὕτω καὶ λόγων μιμήσεων ὁμοιότης τίκεται, ἐπὶ ζηλώσῃ τις ὁ παρ' ἐκάστῳ τῶν παλαιῶν βέλτιον εἶναι δοκεῖ, καὶ καθάπερ ἐκ πολλῶν ναμάτων ἐν τι συγκομίσας ἕϊμμα τοῦτ' εἰς τὴν ψυχὴν μετοχτενύση: scribendum λόγων μιμήσεσιν.

Multae uno loco difficultates consociantur v. 193 sqq., quibus Tiresias Cadmi verba v. 192 οὐ καταφρονῶ γὰ τῶν θεῶν θνητῶς γεγῶς excipit:

- οὐδ' ἐνσοφιζόμεσθα<sup>3)</sup> τοῖσι δαίμοσι.  
 πατρός παραδοχὰς ἄς θ' ὀμήλικας χροῖονφ  
 195 κεκτῆμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος,  
 οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὔρηται φρονῶν.  
 ἐρεῖ τις ὡς τὸ γῆρας οὐκ ἀσχύνομαι  
 μέλλων χορεύειν κρᾶτα κισσώσας ἐμόν'  
 οὐ γὰρ διήρηχ' ὁ θεός, εἴτε τὸν νέον  
 200 εἰ χρῆ χορεύειν εἴτε τὸν γεραίτερον,  
 ἀλλ' ἕξ ἀπάντων βούλεται τιμὰς ἔχειν  
 κοινὰς, δι' ἀριθμῶν δ' οὐδὲν ἀΐξεσθαι θέλει,

priores versus vel ideo digni qui accuratius pertractentur, quoniam luculentissimum inest testimonium quanto Euripides studio philosophorum sophistarumque disputationes sectatus fuerit neque adeo a tragoediis suis procul habuerit. notatur Protagoras quem omnes meminerunt, dei sintne an non sint, negare sciri posse. iam versu primo οὐδ' ἐνσοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσιν satis aperte sophistae reprehendendo Tiresias praeluserat. apertius verba οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος, οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὔρηται φρονῶν Protagoram innuunt. is enim, ut praeceunte L. Kaysero mus. Rhen. novi VII p. 166 I. Bernaysius

2) Schoenius hoc ipsum cum sentiret, ad miram suam interpretationem videtur delatus esse: *ἐκ ἐκιδιδόται drückt aus: hinweg, aus dem Angesicht des Hadernden.* qui dum verba explicat, sententiae oblitus est. quasi vero Dionyso h. e. eius simulacro prorsus remoto non minus scitu dignum dicendumque scriptori fuisset, quo loco Dionysius repositus esset. quid quod, hoc si Euripides voluisset, prorsus non necessarium, immo ridiculum fuisset narrationem illa simulacri fictione onerari.

3) unice probabile duco hoc quod Musgravius coniectura assecutus est, cum libri et editiones pleraeque οὐδὲν σοφιζόμεσθα exhibeant. nam οὐδὲ necessarium est quo Tiresias verba Cadmi continuet, ἐν praepositionem dativum δαίμοσιν exspectat.

optime *ibid.* p. 464 sqq. demonstravit, libro cui *Καταβάλλοντες* (sc. *λόγοι*) et *Ἀλήθεια* tituli erant, nobilissimum artis dialecticae specimen proposuit. namque constat hunc ipsum librum fuisse cuius principium erat *Πάντων χρημάτων μέτρον ἐστὶν ἀνθρώπος*. sed longius et licet et oportet progredi. nam hoc Euripidis testimonium, quo ut in tragoedia vix quicquam manifestius esse potest, ad eosdem Protagorae *Καταβάλλοντας* docet illam quoque disputationem pertinuisse quae de deis erat. atqui verba notissima *Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὐθ' ὡς εἰσὶν, οὐθ' ὡς οὐκ εἰσὶν* et ipsa in voluminis Protagorei cuiusdam fronte extitisse testes sunt Laertius Diogenes VIII 51 Suidas v. *Πρωταγόρας* Cicero de nat. deor. I 23, 63 Eusebius praepar. evang. XIII 3 p. 722 B et *ibid.* 19 p. 766 A. adpono gravissimos locos, Laertii *ἀλλὰ καὶ ἤρξατό που τούτων τὸν τρόπον* „*Πάντων χρημάτων μέτρον κτλ.* . . . . καὶ ἄλλα-χοῦ δὲ τούτων ἤρξατο τὸν τρόπον „*Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω κτλ.*, et Eusebii priorem: *λέγεται γοῦν τοιαῦδε κεχροῖσθαι εἰσβολῆ ἐν τῷ περὶ θεῶν συγγράμματι* „*Περὶ μὲν θεῶν κτέ.* unde efficitur, ut uno nomine *Καταβάλλοντας* dixerit Protagoras duos minimum libros, priorem<sup>4)</sup> cui suus erat index *Ἀλήθεια*, ab ipso scriptore sine dubio profectus, sive *περὶ τοῦ ὄντος* ut propter argumentum Porphyrius appellat ap. Eusebium praepar. ev. X 3 p. 468 B, alterum quod Eusebius *περὶ τῶν θεῶν σύγγραμμα* nuncupat, quem titulum dubitare licet num ipse sophista inscripserit.

Sed ad Euripidis verba revertamur difficilia sane sed non desperata, rationes si accurate subducas. primum *πατρός παραδοχάς* Euripidem non potuisse scribere quis est qui neget? debbat aut *πατέρων* dicere ut Dionysius antiqu. Rom. III 36 p. 732 R. *πατέρων φυλάττοντες παραδοχάς*, aut *πατρίους* quod qui felicissime indagavit Valckenaerius diatribes p. 38 omnino viam ad intellegendum hunc locum munivit. multo magis anceps de relicuis videtur iudicium esse. nihilo tamen setius ὀμηλικας frustra cum poetae sententia consilioque conciliare studebit qui ad virorum confabulantium aetatem retulerit. neque enim *χρόνῳ* aliud esse tunc poterit quam 'paullatim', quod ineptum est; *παραπληρωματικόν* certe, quod Schoenio videbatur, non erit. et tantum abest ut quicquam ad sententiam referat scire, qua aetate traditam illam antiquitus disciplinam hi senes acceperint, ut omnem sententiae vim infringat. quis

4) prior liber sive primus *Καταβάλλοντων* necesse est *Ἀλήθεια* fuerit, ob disertum Sexti Empirici testimonium adv. dogmat. I 60 p. 382 Fabr. *ἐνασχόμενος γοῦν τῶν Καταβάλλοντων ἀνεφώνησε* „*Πάντων χρημάτων μέτρον κτέ.*

enim nescit quid *πάτριον* in rebus sacris Graeci dicant? unice apta ea explicatio est, qua *ὀμηλίκας χρόνῳ* ad summam antiquitatem refertur, ut ea disciplina non a certo quodam quamvis remoto antiquitatis tempore repeti posse sed quasi cum ipso tempore dicatur adolevisse. similiter, ut quasi commentarii loco possit esse, in nobilissimo Eudemi dialogi fragmento Aristoteles ap. Plut. consol. ad Apollonium 27 p. 115 (fr. 6 p. 61 Ros.): *καὶ ταῦθ' οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα παρ' ἡμῖν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδείς οἶδεν οὔτε τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν οὔτε τὸν θέντα πρῶτον ἀλλ' ἢ τὸν ἄπειρον αἰῶνα.* sed etsi nove illud dictum est, tamen non suspectabit qui sive quae de *χρόνῳ* vocabulo Valckenaerius adnotavit legerit sive sententiae momenta perpenderit. accedit quod eodem modo tum Euripides Erechthei fr. 362, 45 p. 372 Nauckii coniunxit *προγόνων παλαιὰ θέσμι'* ὅστις ἐκβαλεῖ, tum veteres hunc ipsum verbum intellegebant, ut testis Plutarchus est amatorii 13 p. 756 B *Μεγάλου μοι δοκεῖς ἄπεισθαι — καὶ παραβόλου πράγματος —, μᾶλλον δὲ ὄλως τὰ ἀκίνητα κινεῖν, τῆς περὶ θεῶν δόξης ἣν ἔχομεν περὶ ἐκάστου λόγον ἀπαιῶν καὶ ἀπόδειξιν. ἀρκεῖ γὰρ ἡ πάτριος καὶ παλαιὰ πίστις ἧς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν οὐδ' ἀνευρεῖν τεκμήριον ἐναργέστερον, οὐδ' εἰ δι' ἄκρας τὸ σοφὸν εὐρηταί φρενός, ἀλλ' ἔδρα τις αὐτῆ καὶ βάσις ὑφειστώσα κοινὴ πρὸς εὐσέβειαν κτλ.* quod si recte locum et Plutarchus et Valckenaerius intellexerunt, emendandum nil erit praeter pronomen relativum, hoc autem ideo sanum esse nego, quoniam quod in apodosi legitur *αὐτὰ*, et illuc refertur et ipsis numeris probatur integrum esse. necessarium igitur genus neutrum *ἄτθ' ὀμηλίκας*. coniectabam olim *πατρίοις παραδοχαῖς ἄτθ' ὀμηλίκας χρόνῳ* — sed opus non est longius a librorum vestigiis recedi, hoc Tiresias dicit: 'quae tamquam avitam disciplinam eamque ipso indefinito tempore non minorem accepimus, ea nullae rationes couvellent'.

Peius habita sunt quae paullo post Tiresias addit v. 199 sq. deprecatur duplicem sententia particulam condicionalem *εἴτε τὸν νέον εἰ χρεὶ χορεύειν*, quam evitaturus inconsulte Musurus *ἐχρησεν χορεύειν* interpolavit: tamquam non omni tempore idem deo placeret. hoc vitium structura minus solita effecit, qua Euripidem usum credo: *εἴτε τὸν νέον χαίρει χορεύοντ' εἴτε τὸν γεραίτερον.* cf. Hippol. 1329 *τοὺς γὰρ εὐσεβεῖς θεοὶ θνήσκοντας οὐ χαίρουσι*, Sisyphi fr. 674 p. 450 N.

*χαίρω γέ σ' ὃ βέλτιστον Ἀλκμήνης τέκος*

[*σὺ θέντα*] *τὸν τε μιὰρὸν ἐξολωλότα*

ut bene hiatum Cobetus supplevit var. lect. p. 238. Rhesi v. 379 *χαίρω δέ σ' εὐτυχοῦντα καὶ προσήμενον πύργοισιν ἐχθρῶν.*

Novissimus versus interpolatoris manum ostendit. hinc illud κοινάς, quod, cum plena et absoluta sententia dicta sit ἐξ ἀπάντων βούλεται τιμὰς ἔχειν, non expectantibus obtruditur. iteratur autem otiose idem quod apertis verbis et planis ante expositum est v. 199 sq. nam διαριθμῶν interpolator cum eadem significatione dixit qua Euripides v. 199 διήρηκε, ut in Ctesiphontea § 207 p. 598 R. Aeschines διηριθμημένους separatos et dilectos<sup>5)</sup>. igitur hoc voluit: discrimen autem nullum deus statuit quo honor sibi augeatur. vides et sententiam et dictionem ab Euripide abhorrere neque ultra v. 201 Tiresiae sermonem proferendum.

VIII Helena fabula uno tantum ad nos exemplo Florentino propagata multum iterum iterumque tractabitur, donec perpolita sit et sanata volnera. pauca hoc loco sanare conabor. primum interpolationem detegam in Helenae sermone v. 292 sqq. cui vereor ne haec tantum poeta verba dederit:

- τί δῆτ' ἔτι ζῶ; τί ν' ἵπολείπομαι τύχην;  
 γάμους ἐλομένη τῶν κακῶν ὑπαλλαγὰς  
 μετ' ἀνδρὸς οἰκεῖν βαρβάρου πρὸς πλουσίαν  
 295 τράπεζαν Ἴζουο'; ἀλλ' ὅταν πόσις πικρὸς  
 ξυνῆ γυναικί, καὶ τὸ σῶν<sup>6)</sup> ἐστὶν πικρόν.  
 302 εἰς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάρθος κακῶν  
 αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι διὰ τὸ κάλλος εἰνυχεῖς  
 γυναῖκες, ἡμᾶς δ' ἀπὸ τοῦτ' ἀπώλεσεν.

etenim ridiculum est Helenam, dum desperato Menelai reditu vitam sibi iam non vitalem esse censet, antequam certum ei consilium constet, statim quasi securam deliberare quo modo magis se deceat mortem quaerere, fune an ense; neque versus 297—301

- Θανεῖν κράτιστον. πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς;  
 ἀσχήμονες μὲν ἀγχόνοι μετάρσιοι  
 κἂν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομιζέται  
 300 σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι καὶ καλόν,  
 σμικρὸς δ' ὁ καιρὸς κάρτ' ἧ) ἀπαλλάξαι βίου

poeta ipse dare Helenae potuit, quam ut a volgatæ fabulae crimine liberaret, hanc tragoediam scripsit. quod qui mihi non concesserit — sunt enim, scio, sunt qui Euripidi inepta omnia et ab arte dissona libenter tribuant —, firmiora praesto sunt

5) fort. non οὐδὲν sed διαριθμῶν δ' οὐδὲν αὖξασθαι θέλει legendum.

6) sic rectissime a Seidlerō emendatum esse quod in libro Florentino est σῶμ' nuperrime Kirchhoffius quoque concessit. miror W. Ribbeckium in Helenam coniect. p. 14 βρώμ' proponentem.

7) κάρτ' posui pro eo quod vitiose legitur ἀρτ'. ἀρθρα latere C. Keilius coniecit.

argumenta quibus convincatur. mortuum esse Menelaum nondum certo comperit Helena, timet tantum, suspicatur, credit. hoc est quod chorus ei suadere studet, ne antequam certior facta sit desperet. mortem se obituram ut significaret, non in senariis sed in commaticis carminibus quae deinceps gliscente animi perturbatione Helena fundit data est opportunitas. quod fit v. 352 sqq.

φόνιον αἰώρημα  
διὰ δέρης ὀρέξομαι,  
ἢ ξιφοκτόνον διωγμὸν  
αἰμορῶτον<sup>8)</sup> σφαγᾶς

αὐτοσίδαρον ἔσω πελάσω διὰ σαρκὸς ἄμιλλαν;

vides eandem inter eadem duo mortis genera neque tertium ullum haesitationem in mulieris lamentis inesse, et cum animi statu iam consonam et verbis ut decebat supra communis sermonis tenuitatem elatis expressam. etiamne quae post cum summa perturbatione cantat, paullo ante putas mulierem potuisse paene sedatam eloqui? an potius hinc petiisse interpolatorem, quo superiorem sermonem inepte dilataret? accedit alterum. mortuo Menelao nil Helenae relinquatur nisi ut aut mortem optaret aut urgenti Theoclymeno nubat. non tam letum illa quam barbari torum reformidat. atqui de nuptiarum imminentium malo summo ei tres versus sunt, quos Helena adicit v. 302—304. eis igitur cum versibus suspectis 297—301 nil est commune, referuntur ad ea quae praecedunt v. 293—296: ut necessarius versuum sensuumque ordo interrumpatur admissis versibus illis spuriiis.

V. 432 sq. sic Menelaus quid agat enarrat

πύλας τε σεμνάς ἀνδρὸς δλβίου τινός  
πρὸς ἡλθον· ἐλπίς δ' ἔκ γε πλουσίων δόμων  
λαβεῖν τι ναύταις· ἐκ δὲ μὴ ἔχόντων βίον

435 οὐδ' εἰ θέλοιεν, ὠφελεῖν ἔχοιεν ἄν.

nescio quomodo haec editores enodent, tacet Hermannus adeoque Badhamus. sed suspicor eos ad figurarum delicias defugere, ut in brevissimo enuntiato ex obliquo casu ἐκ μὴ ἔχόντων βίον subito rectus fiat οἱ μὴ ἔχοντες. unus quantum scio Kirchoffius vitium persensit, sed quod proponit ὠφεληθείημεν ἄν si traditum esset, nemo reprehenderet: cum traditum non sit longeque alia sit codicis memoria, nemo probabit. Scribendum est ὠφ ἔλημ' ἔχοιεν ἄν. nam quod malim sane ἔχοι τις ἄν, necessarium id quidem non est, quoniam facile ναύτας significari intellegitur.

8) sic optime Schoemannus animadversionum diorthoticarum p. 7 vetustum mendum δλωγμα λαιμορῶτον σφαγᾶς correxit.

Venerem cum Helena v. 1096 sic precibus adit:

σύ θ' ἢ πὶ τῷ μῶϊ κάλλος ἐκτίσω γάμῳ  
κόρη Διώνης Κίπρι —

non perspicere me fateor qui pulchritudinem Venus illa re nanota sit; intellegerem allocutionem, si κύδος ἐκτίσω legerem.

VIII Iphigeniae Tauricae duos expediam locos, in quos ut intentius inquirerem, doctorum adolescentium nostrorum cum alibi tum maxime in Euripide vitiosa rimantium sollers sagacitas me commovit. Iphigenia fugam moliens Thoanti regi suadet v. 1165 sq., lustrī causa ut et captivi et deae simulacrum ad mare deferantur:

Iphig. ἀγνοῖς καθαροῖς προῶτά νιν νῆσαι θέλω.

Tho. πηγαῖσιν ὑδάτων ἢ θαλασσίῳ δρόσῳ;

Iphig. Θαλασσα κλίξει πάντα τᾶνθρόπων κακά.

vitiose dictum πηγαῖσιν ὑδάτων nemo monitus negabit. nam aquae duplex genus est, fontana et marina. ὑδάτων genetivum a quoquam partitivum dictum iri, ut sit: aquarum quonam tandem genere, utrum fontibus an aqua marina?, non spero. nam neque Graecus πηγᾶς ὑδάτων audiens aliter accipere poterat quam 'aquae fontem' Romanus, et πηγαί vocabulum tam non fontis significatione continetur, ut ad marinam aquam transferri possit, cf. supra 1014 πόντον σε πηγαῖς ἀγνίσαι βουλήσομαι. igitur ut sana esset oratio, aut ὑδάτων ex hac verborum conpage solutum interrogationi bipertitae tamquam generatim dictum praemitti debuit ποιῶ ὑδατος γένει, πότερον κρηναίῳ ἢ θαλασσίῳ δρόσῳ, aut alio vocabulo utendum fuit, quo iugis aqua manifestius marinae opponeretur. breviorē alteram viam poeta ingressus est. quam ob rem circumspicienda vox est quae cum perennem potabilemque aquam significet, tum glossemate ὑδάτων explicari potuerit. apparet νασμῶν scriptum fuisse. cf. Aeschines or. II § 115 p. 284 R. ubi in Amphictyonum iure iurando inesse dicitur μηδ' ὑδάτων ναματιαίων εἶρξεν et κριώως τῶν ποτιμῶν adnotat scholiasta p. 302 Schultzii. vocabulum ipsum et in anapaestis Euripides posuit Hippolyti v. 225 τί δὲ κρηναίων νασμῶν ἐρασαι; et in senariis ibid. 648 ἀγῶ ὄντοῖς νασμοῖσιν ἐξομῶξομαι.

In diverbio quo Iphigeniam cum Oreste fratre conloquentem Euripides fecit et res Graecas sciscitantem, sententiarum ordinem per versus 515 sqq.

515 Iphig. νόστος δ' Ἀχαιῶν ἐγένεθ' ὡς κηρύσσεται;

Orestes ὡς πάνθ' ἅπαξ με συλλαβοῦσ' ἀνιστορεῖς.

Iphig. πρὶν γὰρ θανεῖν σε τοῦδ' ἐπαυροῦσθαι θέλω.

518 Orestes ἔλεγχ', ἐπειδὴ τοῦδ' ἐρᾶς. λέξω δ' ἐγὼ

non recte continuari olim seminarii nostri sodalis acute per-

spexit. etenim Iphigenia cum sic pergit, velle se ante quam Orestem immolet hunc ex eo fructum capere ut Graecorum fata novissima audiat, nihil rationis significat cur una interrogatione omnium eorum quae scire cupiat summam comprehenderit (cf. 516), atque adeo non solum ad Orestis dictum non respondet sed etiam sententiam paullo ante explicatam versibus 503. 504. 501. 502 iterat. quae iteratio cum otiosa est tum eis verbis expressa quae clementem virginem et in popularem Argivum voluntate propensam minime deceant. denique ne versu 518 quidem id quod unum Orestis dicto v. 516 effici potest et effectum sane esse omne reliquum diverbium docet, ut non tam simul omnia comprehendi quaestione quam singula rimanda esse intellegatur, ullo modo significatur: igitur si huic loco verba ἔλεγχ' ἐπειδὴ τοῦδ' ἐρώς scribebantur, debebat ἔλεγχ' ἕκαστα sive ἐκαστος (ἐφέξης) dici, non simplex ἐλέγχε, si quidem ἐλέγχει etiam πᾶνθ' ἀπαξ συλλαβοῦσα. quam ob rem, cum vituperatio v. 516 et Iphigeniae et auditoribus facile intellecta sufficiat sola, ut Iphigeniam ad sciscitandos singulorum casus compellat, versus illos quibus sententiarum ordo male turbatur 517. 518 eiciendos esse recte sodalis ille iudicavit. debentur autem ei, ut probabile est, histrionum interpolationi.

At hoc impedimento sublato minime totus sermo expeditus est. relinquitur enim difficultas vel gravior. verborum νόστος δ' Ἀχαιῶν ἐγένεθ' ὡς κηρύσσεται; cum duplex possit esse sententia, aut factusne Graecorum de Troia reditus est, ut fertur? aut num is fuit singulorum Graecorum reditus qualis perhibetur?, altera interpretatio ab hoc loco aliena est. nil enim Iphigenia fando accepit nisi Troia capta domum rediisse Graecorum copias, itaque prorsus ut etiam nunc nescia singulos fratri significat ut eis quid factum sit iam audiat. ergo hoc sacerdos quaerit, rectene sibi nuntiatum sit rediisse domum Graecos. quod si ita est, quisvis iam intelleget quam inepte sive antequam Graecorum reditum v. 515 sq. certo compererit Iphigenia, hoc dicat v. 509 Ἐλένη δ' ἀφίκεται δῶμα Μενέλεω πάλιν; sive postquam v. 512 Σπάρτην ξυνοικεῖ τῷ πάρος ξυνευνέτη de Menelao una cum Helena Spartam reverso certior facta sit, de Graecorum reditu dubitare videatur.

Rationis igitur necessitas cogit, ut huic de reditu interrogationi primitus locum post eos versus iudicemus fuisse quibus Troiam iam captam esse Orestes confirmat, hoc est ante omnem eum sermonem quo singulorum fata, Helenae Calchantis Vlixis ceterorum, perquiruntur. turbati in archetypo versuum ordinis alterum hoc indicium ei accedit quod Kirchhoffius simul et Badhamus (ad Ionem p. XII) detexerunt, qui v. 501. 502 viderunt inter v. 504 et 505 collocandos esse. quod si hoc exemplo ut paullo

probabiliorem iudices sententiam nostram efficitur, alia causa suppetit quae conficiat quaestionem. facile enim fere totum hoc Orestis Iphigeniaeque conloquium seniorum versuum membris observabis continuari<sup>9</sup>). hoc ambitu et is locus continetur quo de Orestis nomine disputatur (v. 487—492), et quo de eiusdem patria (v. 493—498), neque maior est eorum versuum numerus qui sive de Helena sive de Achille sive de Clytemnaestra sunt. novum igitur recipravimus sex versuum membrum v. 505—508. 515. 516, quo sermoni de Graecorum post Troiam captam fatibus habendo praeludatur. atque Troiae reditusque memoria hoc uno membro consociatur perinde ut infra Calchantis Vlixisque mentio eodem versuum numero coniungitur (v. 519—524).

Longius iam liceret pedem proferre et de totius diverbii structura iudicare, nisi in ipso limine haereremus. exorditur enim Iphigenia stichomythiam versibus his

*πότερος ἄρ' ἑμῶν ἐνθάδ' ὀνομασμένος  
Πυλάδης κέκληται; τόδε μαθεῖν πρώτον θέλω.*

ita non solum ipsa duobus utitur versibus cum singulari deberet ut per totum eum sermonem uti, sed violatur etiam primi membri ratio, dum septem versus efficiuntur qui de Pylade sunt. sed accuratius inspicientem interpolatoris fraus non latebit. quid enim est *ὀνομασμένος κέκληται*? explicationem suam haberet, si *ὄνομα κέκληται* (cf. Ion. 75), adeoque si *ἐκλήθη* traditum esset. aut cui bono *ἐνθάδε* adicitur nisi ut hiantes numeri expleantur? aut qui tandem *τάδε μαθεῖν πρώτον θέλω* Iphigeniam potest poeta dicentem facere, quae ne verbo quidem, quam cuperet ab his iuvenibus de rebus domesticis doceri, antea significaverit? vides hanc sententiam ex versu sequente inepte arreptam *εἰ τι δὴ σοι τοῦτ' ἐν ἡδονῇ μαθεῖν*. igitur nullus dubito, quin prima Iphigeniae interrogatio singulari olim versu comprehensa postea in duos male distracta sit. multa excogitari possunt qualia Euripides scripserit, veluti

*Πυλάδης ἄρ' ἑμῶν πότερος ὃς κικλήσκειται;*  
vel *Πυλάδης ἄρ' ἑμῶν πότερος ἦν κεκλημένος,* ut servatum sit huius participii glossema *ὀνομασμένος*, ἦν autem referatur ad nuntii narrationem v. 241 et 277, unde id nomen Iphigenia perceperat.

9) probe iam Henricus Hirzeli intellexerat, de Euripidis in componendis diverbiis arte (Bonnae 1862) p. 18, per maiorem conloquii partem senarium numerum regnare. qui quo minus omnem veritatem pervideret, eo inpeditus fuit, quod eas ipsas difficultates sive non sensit sive non examinavit, quibus ego commotus ut eandem ultro observationem facerem de diverbii aequabili partitione, adductus sum.

Itaque totum olim diverbium sic singulorum versuum senionibus pertexebatur, ut I de Pyladae nomine et patria diceretur v. 480—486, II de Orestis nomine v. 487—492, III de eiusdem patria v. 493—498, et ut IIII, postquam exulem se esse Orestes confessus esset, sorori res Graecas sciscitanti morem se gesturum concederet v. 499. 500. 503. 504. 501. 502; deinde V Troiam captam Graecosque rediisse confirmatur v. 505—508. 515. 516. iam igitur singula perquiruntur et VI quidem de Helena sermo est v. 509—514, VII de Calchante et Vlixē v. 519—524, VIII de Achille 525—530, VIII de Agamemnone v. 531—536, X de Agamemnonis nece v. 537—542, XI de Clytemnaestra v. 543—548, denique XII de Agamemnonis pro genie domi relicta v. 549—554. iam examine trium versuum de Oreste ipso instituto ubi frustra se somnio territam Iphigenia summa cum laetitia intellexit, haec interrogatio finitur.

Non casu haec evenit sed artificiosa est membrorum paritas. quam tamen dum captat, non id solum poeta egit ut senorum versuum numero diversas proinde cohiberet orationis partes. sed ipsum quoque totius conloquii consilium simili descripsit ratione. triplicem enim voluit diverbii quasi summam partitionem esse, ut quater seni versus singulas partes efficerent. atque praeclare hanc Euripides rationem executus est. nam cum prima parte (I—IIII v. 480—502: supra dixi quo ordine versus sint conlocandi) viam ad interrogationem munivisset, hanc ita instituit ut quam maxime mulierum moribus consentanea esset. non ea primum ex fratre Iphigenia quaerit quae scire ardet flagratque, sed quo minus suspitionem hospiti ullam moveat ex quo genere oriunda sit, Troiae Graecorumque sortem universam perquirat et ea nomina profert quae in omnium ore poterant esse. qua re omnium, ut par erat, Helenam primam nominat, addit Calchantem Vlixem Achillem. sed cum hoc ipsius fortuna sacerdotis coniuncta, in hoc se Graecam saltem esse prodit. itaque his quasi gradibus, quibus secunda pars continetur (V—VIII v. 505—530), ad totius diverbii tamquam arcem Iphigenia escendit, tertiae iam parte, quod unum illi maxime cordi fuerat, multa cum arte et cautione quaerit, Agamemnonis eiusque familiae fata (VIII—XII v. 531—554).

(continuabuntur.)